

Bibliothèque numérique

medic@

**Piorry, P. A.. - An omnes morbi
sanabiles sanandi ?**

1824.

***Paris : Ex typis Anthelme
Boucher***

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1824x02x06](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1824x02x06)

COMPETITIO

Ad aggregationem jussu regis optimi et ex mandato summi
regiæ Universitatis magistri, instituta anno 1823.

AN

OMNES MORBI SANABILES SANANDI?

THESIS

*Quam, deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ
Parisiensi, presentibus competitoribus, judicibus,
competitorum disputationibus, subjiciet et propugnare
conabitur die mensis Januarii anno 1824.*

P. A. PIORRY,

Doctor medicinæ, adjunctus regiæ Academiæ medicinæ Parisiensis, etc.


Tout écoulement critique est déterminé par la nature;
il n'est pas permis à l'art d'en changer la route et le
temps.

(LANDRÉ-BEAUVAIS, *Dict. des Sciences méd.*
art. *Crises*, pag. 373.)

PARISIIS,

EX TYPIS ANTHELME BOUCHER.

1824.



Præses. D^r. ESQUIROL.


Judices. { D^r. LANDRÉ-BEAUVAIS.
RÉCAMIER.
BERTIN.
FIZEAU.
CAYOL.
ROYER-COLLARD.
JADIOUX.
ALIN.

Vices gerentes. . . { D^r. KERKARADEC.
PARENT DU CHATELET.

Competitores.

DELONDRES, ROCHOUX, GÉRARDIN DE CHAMPESME, CRUVEILHIER,
LEGRAS, BAILLY, RAMON, MIQUEL, DESTOUET, MARTIN-SOLON,
DUPAU, DUGÈS, ANDRAL, GIBERT, TUFFIER, BAYLE, VELPEAU,
MESLIER, LÉGER (Victor), LÉGER (Théodore), BOUILLAUD.

Tanta est materia ut mihi aphorismis uti solum liceat. Timidus profectò hanc aggredior viam. Sententiosè dixit Hippocrates et haud immeritò. Hippocratis exemplum suo jure imitari potuit Boërhaavius. Nobilissimos qui illustrent facultatem professores, hunc sibi loquendi modum vindicare decet. Omnibus fortasse competitoribus meis, sententiosum stylum fas esset adhibere. Ego verò cum aliter loquendi non sit copia, sic locuturus.



AN OMNES MORBI SANABILES SANANDI?

SANATIO reditus est ad sanitatem.

Omnes fortasse morbos potest natura sanare, medicus verò multos insanabiles habet.

Sanabiles dicuntur morbi, quos medicus sanare aut quorum sanationem juvare potest. Insanabiles illi, adversus quos hucusque ars vana fuit.

Morbi quos sola natura solvit extrà quæstionem sunt, quoniam eos tollere nequit medicus.

Cum verbum *sanare*, sanum efficere denotet, reverà sanandi omnes morbi sanabiles, namque sanitas nunquàm timenda.

Aliquotiès apparet verò sanitas, cum malum internum urget. Indè haud facilè diceretur an sint omnes morbi arte solvendi.

In observatione stat posita vera medicina. Colligamus igitur primum observationes. Indè argumenta et inductiones.

Ex multis invaletudinibus, multisque malis, et multis symptomatibus temerè solutis, funesta sæpè orta sunt accidentia. Sæpè verò, primo redeunte morbo, ulteriora fugerunt mala.

Innumerabiles observationes collecturus, organorum et functionum ordinem sequar.

PRIMA PARS.

OBSERVATIONES.

Cutis morbi. — Sudores quibus jamdudum homines laborabant, cum suppressi essent, indè gravissima subito orta sunt accidentia; epilepsia, tetanus, etc. (Zacutus Lusitanus, Raymond, Landré-Beauvais, etc.) Sudore suppresso redeunte, jam secundarius solvitur morbus. Pedum transpiratio, præcipuè foetida, (Krugelstein) reperiussa, sæpè colluviem gastricam, cephalalgiam, asthma, phthisim pulmonarem peperit, etc. (Lobstein, Krugelstein, Montfalcon.)

Phthisicorum tamen sudorem aliquoties feliciter suppressit celeb. professor Fouquier. Optima medicinalium regularum, pessima efficitur, si nimium universa sit in applicatione.

Erysipelate, medicamentis aut frigore extincto, subito immania accidentia apparuerunt (Fabricius Aquapen., Hoffmann, Hagedorf prof. Pinelo citati). Jamjam et divinus dixerat senex: « Erysipelas foris quidem introverti, malum, vero foras bonum. » Morbos aliquoties erysipelas solvit, axillæ atque cervicis strumosas ingurgitationes, herpeticas affectiones, etc. (Prof. Alibert.)

Repentè suppressâ chronicâ scabie (aut fortasse exanthemate pro scabie habito), phænomena gastrica, febris, cæcitas, apoplexia, epilepsia, mors imò subita ægrum invaserunt. (Sennertus, eph. nat. cur., Horstius, Zacutus Lusitanus, Raymondo indicati), vidit et Fayetus scabie lenitam febrem tertianam, etiam et sanatam.

Quum topicis medicamentis, herpetis retrocessio producta sit, persæpè et continuò, sanguinis fluxu ad faciem, tetanicâ affectione, epilepsiâ, maniâ æger laboravit (Raymond, professor

Alibert, Drs. Giraudy, Chomel, etc.) Internus, herpete cutem rursus invadente, morbus evanuit. (Raymond, Chomel, etc.)

Quamvis luctetur lineæ aptissima curatio, continuo morbus funestus aliquoties instat. Puellæ tineam emollientibus curo, foniculus ad brachium suppurat, arachnoiditis lethalis supervenit. Ulcerationi capitis puellulæ alterius medeor, irritatione cerebri mox infelix moritur (*Mémoire sur l'irritation encéphalique*). Quam sæpè putavit sanatum hoc exanthema medicus, affectiones chronicos subito invadentes vidit (prof. Pinel). Pustulis capitis atque pediculis judicata est febris ataxica (Lanoix.)

Ægri sæpè capillorum sectio haud innocens est (Lanoix); imò in trichomate quamvis discrepent sententiis auctores, periculosa (Prof. Alibert, Pinel; doct. Schlegel, Jourdan, etc.). « Apoplexiæ, catarrhi, spasmi, convulsiones, articulares morbi varii, curationem incautam plicæ secuti sunt. » (Prof. Alibert.) Notabilissimam observationem, retrocessionis ad pulmones trichomatis, Shlegele auctore, transtulit Jourdanus.

Veteribus in ulceribus aut foniculis, etiam in vulneribus pure madidis, quos ipsa natura, aut ars imperita siccaverunt, subito observatæ sunt mania, epilepsia, gastritis, etc., indè consilium caute vetera ulcera curare. (Boyer, Richerand, etc.) Igne, cantharidibus, cucurbitulis, malo foràs everso, jam et desinerunt funesta accidentia.

Febres abcessibus judicatæ, suppressio abcessus symptomatibus internis secuta, inguinales tumores cum delirio pestilente vicissim observati (Prosper Alpin, Desaix indicatus), medicum faciunt certiore, puris et tumorum metuendam metastasim.

Medici, vulgus et ipse, funestos retrocessionis variolarum morbillorum, etc., effectus noverunt.

Organorum olfactionis morbi.—Vidi à mucoso profluvio narium suppresso, ægros cephalalgia ingenti atque continuâ laborantes. Epis-

taxis sæpè morbum periculosum judicavit (Galenus). Fluxiones sanguineæ, apoplexia (Raymond), hemorrhagia oculi (Shenckius), vertigines, aurium tinnitus, nervosæ affectiones, intermissionem incautam epistaxis secutæ sunt (Dr. Esquirol).

Organorum auditionis morbi. — Cutis aut oculi affectiones, testis inflammationes (Ravaton), cerebri læsi symptomata (Itard), otorrhæa suppressa vulgò apparent. Profluvio redeunte jam resolvitur aliquoties morbus. Externâ otorrhæa et leucorrhæa vicissim puellulam vidi laborantem.

Oculorum morbi. — Ut mærens homo sanus lachrymat, dulce levamen malorum ! sic et lachrymæ sæpè gravem judicant hysteriæ accessum.

Organorum digestionis morbi. — Parotiditis reperiendum, erysipelas, imò et gangræna scroti sæpè secuta sunt (Ravaton, Pinel, Murat, etc.). Parotidite solvitur plerumquè adynamica febris.

Sani pueruli lacte largiore usi, vomunt et salubriter. Quùm singulis diebus sacerdos quidam vomitus excitaret mucosos et valeret, incautus consuetudinis immemor est. Indè delirium febrisque. Sanitas feliciter vomitione recuperatur (Raymond). Copiosus hematemesis cujusdam hominis causa fuit cur integrâ valetudine esset (Zacutus Luzitanus Raymondo indicatus). Criticam viderunt hanc hæmorrhagiam (profrs. Portal, Pinel). Hysterica mulier spasmis laborans, vomit et subito valet. Venena sæpè stomachus rejecit. Symptomata funesta vomitu curata, plerumquè et ipse observavi (*Journ. Compl. du dict. des sc. méd.*)

Innocens fuit aliquoties in puerulis diarrhæa persistens (Raymond). In adultis temerè curatus et reperiendus hic fluxus causa apoplexiæ, epilepsiæ visus est. Arachnoïditis signa, dejectiones et alvi plerumquè alternant. (*Mémoire sur l'irrit. encéph. des enfans.*)

Hemorrhoidibus extinctis vulgò variis morbis ægrotant stomachus, intestina, jecur, lien, pulmones, cerebrum, etc., tumidis inflam-

matione tumoribus, jam internæ affectiones desinunt. Epilepsia (Raymond), Arachnoïditis (Drs. Parent et Martinet), febris nervosa (Selle, prof. Pinel), peripneumonia (Raymond), phthisis (prof. Recamier, doct. Bodson, Montegro citati, exempla notabilissima observarunt) vicissim et hemorrhoides apparent. Noverunt medici quantum profuerit in pulmonum tabe ani fistulosum ulcus! Locutus est Chomel, Raymondo indicatus, de asthmate quod frequentes missiones sanguinis non curaverunt, exili vero fluxu hemorrhoidali sanatum.

Organorum circulationis morbi. — Coercere abruptè hemorrhagiam periculosum. Tumor genæ a longo tempore sanguine madet. Huic operatur chirurgus. Subitò apoplexia ingruit (Raymond). Quivis medicus exempla funesta retrocessionis hæmorrhagiæ observavit; quivis medicus naturam sanantem profluvii sanguinis plerumquè vidit.

Persæpè operari arteriæ dilatatæ minimè profuit, namque altera anevrismata, alteris in arteriis deindè ægrum invaserunt.

Febre sanatos morbos chronicos sæpè sæpiùs vidit Hippocrates. Dixit febrem Celsus plerumquè salutarem. Boerhaavius, Vanswieten, Sydenham, Campanella, Bordeu, etc., eandem sententiam secuti sunt. De eâ materiâ nuperrimè disseruit doct. Comte et observationes collegit. Cancrum febre sanatum vidit Fayetus. Haud temerè putant periti medici accessus febriles variolarum, morbillorum, etc., virum depellere, sanguinem que repurgare.

Organorum respirationis morbi. — Sputis ex consuetudine copiosè expulsis et subitò suppressis, sæpè accidentia pulmonem ingruunt. Peripneumonia et mors, frigoris, in hemoptysi, inter scapula lati, frequentes fuerunt effectus. Suffocavit subitò ægrum expectoratio sanguinea suppressa (Shenck). Contrà Gretry multo à tempore hemoptysi laborans, naturæ confusus multos per annos vixit.

Nutritionis alterationes. — Judicavit febres gangræna critica et

symptomata. Eâdem gangrænâ vidi cancerum mammæ vetus destructum. Adeò frequens et ferox est recidivus cancer ex operatione, ut arduum sit dicere an huic cancro operandum, necne (Profrs. Boyer, Roux). Eadem de hæmorrhoidibus fongo, tumoribus que erectilibus dicam.

Locomotionis organorum morbi. — Innumerabiles observationes collegerunt auctores de gastrite, asthmate, apoplexiâ, etc. ortis, cum chiragra aut podagra infelicitè curatæ, subito extinctæ sunt narcoticis, calidis, acerbis topicis, Pradierii cataplasmate, etc. (Musgrave, Hoffmann, Montègre, etc.) Morbo articulorum redeunte, sæpè sæpiùs desinunt interna symptomata. Nunquàm vexatus Morgagnus arthritide, ophthalmiam gravem patitur, cum aquâ calidâ pedes mersisset, podagra supervenit, oculi morbus solutus est. Pleuresis, mania, epilepsia, etc., plerumquè desinerunt cum arthritide externa apparuerit.

Eadem de rheumatismo dici possunt.

Ex albæ tumoris amputatione frequenter orta est pulmonum tabes.

Organorum generationis morbi. — Testitis, urethritis acutissima, ophthalmia periculosa, injectiones adstringentes in blennorrhagiâ plerumquè secutæ sunt.

Quod de hemorrhoidibus dixi, præcipuè menstruationi, conferret, nisi phænomenon ea sanitatis esset. Immoderatam menorrhagiam et amenorrhæam similes sequuntur effectus quàm qui profluvium aut suppressionem ani tumorum.

E leucorrhæâ suppressâ labes ingens malorum; quæ Sennertus perfectè noverat. Inde diabetès ægram invasit (Ballonius), indè dolores feroces abdominales apparuerunt (Nenter).

SECUNDA PARS.

ARGUMENTA.

DICTIS ex observationibus patet innumerabilibus, symptomata multa haud impunè solvi. Indè diceres multos esse morbos minimè sanandos, ipsos reverà quorum diathesis generalis principium et fons est, aut quorum metuenda metastasis.

Attamen symptomata, morbis ipsis, necessarium est discernere. Herpes, scabies, hemorrhòis, ani abscessus in tabe, causam sæpè habent internam, et reipsà effectus affectionis sunt internæ aut occultæ. Tunc et cavenda est eorum solutio. Sit ità sanè, causam abditam, morbum ipsum investigemus, et si insanabiles ei sint, symptomatibus parcamus, et ità agamus quamdiù nulla copia nobis erit causam internam sanandi. Heu ! timendum est ne semper medicus ità acturus, credendum namque est multos morbos insanabiles arti habituros.

Nullus erit qui quærat an utile sit sanare instantes variolas, alterumve ingruens exanthema ; fatebuntur vero medici periti, periculosum esse febrem abrogare invasionis.

Nullus erit qui neget phthisim sanandam, verò meritò dicetur compescere sudorem pthysicorum aliquotiès cavendum.

Herclè debellandi morbi hepatis, lienis, stomaci, intestinorum, etc. Certè verò hemorrhòidum quos hæ affectiones produxerunt retrocessio timenda.

Organorum, humorumve vitia, ex quibus oriuntur febres, profectò et utiliter arcenda, salutaris verò febris esse potest ad causam proximam morbi destruendam. Hæc vera sunt, quæcumque sit rei interpretatio, namque theorice, minimè facta permutare, potest.

Hæmorrhagica diathesis sananda certè, ne quidem verò omnis hæmorrhagia.

An vitium cancrum sanandum quamvis nullus sit qui quærat, non continuò omni cancro operari conveniret.

Generatim anevrismata, et præsertim, ad dilatationem articularum propensio, debellanda (si copiam debellandi ars haberet), minimè verò omnem tumorem anevrismaticum ferro curare confert.

Ex his, sanandos in universum, morbos sanabiles constat; multis verò vitiis symptomaticis parcendum.

Ea vitia sunt accidentia quæ orta ex consuetudine corporis putant medici; quæ, invaletudines si ad exiguum tempus durent, mala si perstent chronicè; dicam. Hæc infirmitatum partes sunt si, quamvis inutilia sint, tamen illis parcendum.

Curanda prudentissimè etiam mala quorum causa interna sublata est.

Pleraque argumenta, è nuper dictis factis, proximè nata, mihi certiora videntur. Non itidem est de eorum interpretatione. Observationes perstant, theorices mutantur.

Accidentia orta ex incautâ temerariâ quæ medelâ, plerumquè sympathiis, derivatione, metastasi explanantur. Sunt quædam nihilominus quæ sola explicat, diversarum partium ejusdem textus, propensio ad eandem effectum.

Hæ sympathiæ, derivationes, metastases, quas direxit natura prudens, invasionis leges indicant morborum utilium.

Quid! mala utilia, aiunt quidam medici! Quid! febribus parcendum!

Quid ita non?

Observationes jam citatæ respondent; et iterum dicam medicalis artis regulas firmas, stare exclusoriè in factis.

Sed ipsæ febres, inquiunt, chronicam inflammationem minimè abrogant. Irritatio localis causa febris fuit; organi affecti vitalitatis modum permutavit; aut aliquoties alibi surrexit; inde metas-

tasis et sanatio. — Esto. Hypothesim concedo. Nihilominus observationes manent et ipsa sæpè sæpius natura morbos sanat.

At, additur, hæc inflammatio medicatrix è causâ fortuitâ nascitur. — Probate primum, deindè credemus. Vobis contra nunc objicio, causam hujus inflammationis minimè notam.

Non sanatio, dicunt, sed curatio periculosa. — Sit ità. Necessè esset verò noscere quæ sit melior, ex eâ medelâ quæ naturæ legibus inseruit, aut eâ quæ vehementissimis viis miserrimos urget ægros. Cæterum, omni rationali habitâ curâ, interim è malis utilibus suppressis funesta ingruerunt subitò phænomena.

Quis posset et naturæ negare vim medicatricem? Organorum mirabilis compages, synergia justaque æquilibritas functionum, instinctivæ impulsiones, spontanei et critici egestus, viæ diversæ excretionis diversis casibus accomodatæ, eliminatrices inflammationes, vulnerum cicatrices, calli formatio, os novum periosteo in necrosi formatum, arteriæ ægræ obliteratæ, anevrysmata sponte sanata, abscessus foras aperti, pulmonum tuberculosorum cicatrices, gangrænâ spontanea inflammatio sistens, intermittentium febrium accessus sudore judicati, sanatio omnium ferè morborum spontanea aut quæcumque sit eorum curatio observata, mala et præsertim utilia, demonstrant naturam sanantem, probant vis vitæ salutares impetus, denuntiant hanc infinitam sapientiam quâ organa ordinata sunt et libratae functiones.

Minimè discrepant sanitatis et morbi leges, et quemadmodum consentiunt omnia, in animali sano, ut integrum illud sit, et generatione multiplicet; sic animalis ægri organa ad sanitatem miro ordine spectant.

Multi sunt qui negarunt medicatricem naturam.

Ordine functionum corporis et ipsius structurâ, causam harum admirabilium naturæ actionum indixerunt physici. Eæ explanationes si admitterentur; si, quod nego, nihil fuisset in homine nisi materia, attamen quoque phænomena salutaria produci possent.

Crises periculosæ, ut aiunt, namque earum materia plerumque vitæ fontes gravissimè afficit. — Annuo. Verò dic mihi, quæso, an perfectè ægri casum noveris, et si aliter crisis effici potuerit?

Hypotheticum, additur dicere morbos crisis judicari. — Qui verò crises negarunt minimè morbos observarunt.

Inflammatiō, inquiunt, spontè augetur. — Reverà. Augetur tantum verò, quàm phlegmasiæ causa maneat, invitis naturâ et arte.

Chronici fiunt morbi, additur. — Concedo. Plerumque verò medici aut ægri vitio.

Natura, inquiunt, reactionem sæpè haud innocentem movet, — sed ut æger sanescat, medicus quoque venena ministrat.

Non semper vincit morbum natura. — Haud profectò. Namque omnis homo periturus.

Ergò sanantis naturæ, salutares impetus omnia probant et denuntiant. Prudens, sæpè symptomata, non arte sananda, ergò natura movet.

Minimè quidem omnia symptomata non sananda è medicatrice naturâ oriuntur. Fortasse inertium corporum legibus utilia phænomena aliquoties ministrantur. (Hemorrhoides in jecore indurato, profluvium sanguinis in anevrysmate cordis.) Si quidem hæ explanationes mechanicæ admitterentur, fatendum necessè esset, organorum compagem perfectè accomodatam, quoniam ex ipso malo, physicè nascuntur ordinata et utilia accidentia.

An quorundam malorum optanda sit sanatio, necne, incertum est, non eò quòd profuerint, sed quòd si desinerint indè mala graviora.

Cæterum quibus placare necessè est symptomaticæ affectiones, possunt morbo occurrere abdito et instanti (Prophylacticæ), eum lenire (Palliatrices), demùm sanare (Curatrices), ex indè crises, inconsultè negatæ et reipsa admirandæ et observandæ.

Quoniam morborum symptomata plerumque utilia sint, sæpè fateamur, haud profectò affirmare possemus, quousque sit sanatio

cujusdam morbi utilis. Namque quid futurum esset de ægro si morbus non eum invaserit, aut ars non huic medita erit? Non est nostri investigare quomodò, quæ non egit, res egisset.

Quænam fuissent viri variolarum vastationes nisi occurrisset febris? Ignoro, fateor; at pestis, typhus que icterodes nullâ invadente febre, necant.

Vaccinâ, variolarum virus irritus jam fit. Nûm ipsa, consimilis repurgationis compos est natura!

Quædam demùm sunt mala sanabilia quæ minimè sananda, aut quibus ferro haud certè operandum, namque remedium pejus esset ipso morbo (varices), aut periculosa esset operatio (innocens tumor propè arteriam positus).

CONCLUSIONES.

An omnes morbi sanabiles sanandi?

- 1°. Ergò omnes sanabiles generatim morbi propriè dicti sanandi.
- 2°. Ergò multis sanabilibus symptomatibus, malis, invaletudinibus multis, pro scientiâ ætatis nostri, parcendum.
- 3°. Ergò hæc sanabilia symptomata, mala, invaletudines, sananda tantùm quùm abdita causa, morbus occultus planè nota, et ad nihilum, arte aut naturâ reducta fuerint.
- 4°. Ergò quibusdam sanabilibus malis, quorum inutilis aut periculosa esset operatio, parcendum.

FINIS.